

„ admodum locus , qui argenteis illis , quibus Christi
 „ proditio a Juda conflata , emtus est : ager nempe ille
 „ Figuli , & ipsi argentei , quibus is emtus est , reputa-
 „ ti sunt & appellati pretium sanguinis : eodem modo
 „ etiam pecunia , quas accipiunt illi venditores gratiæ
 „ Dei , & Parochiæ atque Dioeceses , quas auro , vide-
 „ licet Embaticio , emunt Sacerdotes qui a Pontificibus
 „ ordinantur , merito pretium sanguinis , ut sunt , ita &
 „ nominantur . Lectis igitur illis , quos supra nomina-
 „ vimus , Apostolicis Canonibus , & Basilii Magni : Con-
 „ stitutionem in Codice scripserunt , scribente ipso com-
 „ muni Domino , sanctissimo & œcumenico Patriarcha ,
 „ subscribentibus etiam supramemoratis sanctissimis Pon-
 „ tificibus , in hæc verba : Quicumque Pontificum trans-
 „ gressus fuerit divinos supramemoratos Canones , de-
 „ ponitor . Ita divinæ gratiæ beneficio evulsa & eradi-
 „ cata est Simoniaca nundinatio , & Embaticium : quod
 „ & ipsum impia maxime Simonia erat , sicut supra nos
 „ abunde scripsimus „ . Martinus Crusius in Historiam
 „ Ecclesiasticam Annotat. in citata Malaxi verba : *Ἐξεδ-*
 „ *σθη καὶ Ἐπίσκοπος* pag. 205. „ Dixit mihi Dominus Pa-
 „ triarcha Hieremias (inquit Gerlach. in Epist. 26. No-
 „ vemb. 1575. ad Dom. Cancellar.) se in tota Dioecesi
 „ sua , sub poena abdicationis mandasse , nequis pecunia
 „ absolveretur . Vidique tunc in Patriarchatu , Chii &
 „ Naupacti Metropolitans , quos Simoniæ causa loco suo
 „ moverat „ . Hic est Jeremias Patriarcha Constantino-
 „ politanus , qui bis e Sede sua pulsus , semel scilicet per
 „ *Metrophanem* , qui ab anno 1579. die 24. Decembris ad
 „ 6. Augusti 1580. Sedem illam occupavit ; atque iterum
 „ per *Pachomium* ac *Theoleptum* ab anno 1580. quo *Metro-*
 „ *phanes* obiit , usque ad ann. 1584. quo *Pachomius* Les-
 „ *bibus* , & post eum *Theoleptus* Philippopolitanus ad annum
 „ usque 1587. in Sedem intrusi fuerunt . Quum autem Je-
 „ *remias* , *Theolepto* in Valachiam iter arripiente , ca-
 „ ptata occasione per suos impetrasset , ut Patriarchales
 „ suas ades reciperet , quumque Byzantina Ecclesia ob cre-
 „ bras illas de Patriarchatu litigationis in ingenti are
 „ alie-